



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

4. Cum usus &c. Quod Casinensis Psalterio. Gallicani utantur anno

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1367.

cilio rescripturus, ac tu, & Suffraganei tui favorem Apostolicum, in his, in quibus illum reputabis utilem, fiducialiter postuletis.

Datum Avenioni VII. Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

IV.
Ex Dia-
rio Ital.
Montfau-
con pag.
331.

Quod Casinenses Psalterio Gallicano utantur :
anno - - - -

URBANUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Ab-
bati & Conventui Monasterii Casinen-
sis, Ordinis S. Benedicti, nullius Dio-
cesis, Romanae Ecclesiae subiecti, nec
non universis Conventibus, & Mona-
chis Membrorum ejusdem, Salutem &
Apostolicam benedictionem.*

Um usus Psalterii Gallici tam in Romanâ Curia, quam in majori parte Ecclesiarum, & Monasteriorum habeatur frequentior quam Romani, cujus usus servatur in vestro Monasterio Casinensi; Nos nolentes, quod in hoc à dictis Curia, & aliis pluribus Ecclesiis discreperis, discretioni vestrae in virtute sanctae obedientiae, & per Apostolica Scripta mandamus, quatenus de cetero utamini Psalterio Gallico praelibato. Tuque, Fili Abbas, contradictores per regularem disciplinam, & etiam Censuram Ecclesiasticam, si opportunum fuerit, postpositâ appellatione, compestas.

Datum Romae apud S. Petrum IV. Nonas Martii, Pontificatus nostri anno VIII.

Nic. G. de Mandato Domini nostri Papae.

Bartholomaeus

Locus ✕ Sigilli plumbei pendens.

ANNO
1370.

GREGORIUS UNDECIMUS,

PONTIFEX CCIII.

ANNO DOMINI MCCCLXX.

Gregorius, prius Petrus Rogerius, anno 1370. Urbanum V. excepit. Pacem inter Christianos conciliare annisus est. Motus turbis Florentinis, quorum ope Romani nixi, Legatos Apostolicae Sedis pepulerunt,

Sedem Avenione Romam post 72. annos transtulit; Mox obiit anno 1378.

(Magni Bullarii Romani hujus Edit. Tom. I. Luxemb. 1727. fol. 262. App.)

Deputat duos Cardinales pro sedandâ discordiâ inter Reges Angliæ & Franciæ obortâ :
anno 1371.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad procurandum Statum pacificum & tranquillum inter Te, & carissimum in Christo Filium nostrum Carolum, Regem Francorum illustrem, dum minori fungebamur officio, mentem semper habuimus vigilem. Et dum, Divinâ disponente Clementiâ, ad apicem Summi Apostolatus fuimus assumpti, tanto ad id eò ferventiùs & instantiùs noster fuit excitatus affectus, quò vestra toti Populo Christiano periculosior erat & adhuc est discordia.

Eapropter duos è dictis Filiis nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, videlicet, Simonem Tituli Sancti Sixti, & Joannem Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyteros Cardinales, Apostolicae Sedis Nuncios, tanquam pacis Angelos ad utramque Partem pro hujusmodi sedanda discordia Te super hoc gratiosè exhortando, duximus destinandos. Verum nuper latenter audivimus, quod Tu, tanquam Princeps Christianissimus, ea, quae idem Simon Cardinalis Serenitati tuae super praemissis exposuit, benignè audivisti, super quo Sinceritatem tuam multarum prosequimur actionibus gratiarum. Et, cum summe nobis cordi sit, ut inter Te & dictum Regem Francorum, summotis hujusmodi discordiis, perpetua Pax reformetur, per quam desolationi Catholici occurratur Populi, Christianae Gentis Excidia tollantur, & obvietur periculis animarum, Excellentiam tuam rogamus & exhortamur, in Filio Dei Patris & per ipsius misericordiam obsecramus, quatenus eisdem Cardinalibus, & eorum cuilibet, in his, quae super hoc Tibi ex parte nostra retulerint, credens indubiè, & solerter attendens, quam sit onusta periculis, quantaque discrimina secum trahat hujusmodi damnosa dissensio, quantaque ex hoc bonis Christi Fidelibus contristationis, & Infidelibus exultationis & gaudii materia praeparatur, tuum in mansuetudine animum praeparans, pro Divina & Apostolicae Sedis ac nostra reverentia, ad Pacem reformandam, per quam Regna crescant, & Populi sub tranquillitate proficiunt, cum praefato Rege Francorum Te convertas; ac Nuncios industriosos & solennes, & plene instructos, Deum & Bonum pacis zelantes, ac plenum ad hoc mandatum

habentes,

ANNO
1371.I.
Ex Arch.
Angliae
Rym er
Tom. 6.
pag. 702.